



**Raimundus dilectis amicis sodalibus et fautoribus linguae Latinae s.p.d.**

Quamvis minimus inter vos ipse mihi videar, magno est mihi honori et gaudio vobis has litteras mittere, eis enim nuntiare in animo habeo nos, sc. sodales instituti c. n. est *Academia Renascens*, nuper condidisse fasciculos periodicos nomine “*Renascens: libellus doctrinarum et artium*” omnino Latine exarandos, quos quidem, ut academice, ut ita dicam, adhiberi possint, sub indice ISSN 2724-0762 in lucem ter in anno publico dabimus.

Itaque ad vos percurrimus, a vobisque auxilium petimus, si quando per tempus et munera vobis licuerit, ut nobis interdum symbolas vel opuscula Latina libenter mittatis, quibus hoc inceptum adimplere possimus.

Nostri fasciculi parantur quoque auxilio et tutela *Pontificii Instituti Altioris Latinitatis Romae* et *Scholae Latinae Montellae* sitae.

Sedem retialem nostram adhuc paramus hanc:

<https://academiarenascens.com/libellus-doctrinarum-et-artium/>

Numerus ad nuntiolos dumtaxat accipiendos hic praebetur: +39 334 241 8250

Inscriptio denique electronica haec est: [libelli@academiarenascens.com](mailto:libelli@academiarenascens.com)

Gratias plurimas iam in antecessu vobis ago, qui benigne hoc inceptum accipitis deque Latinitate bene meriti estis. Curate ut praesertim his diebus optime valeatis.

*Dabam Mexicopoli a.d. VII kal. Iun. an. MMXX a mundo redempto*

Raimundus Ayala Vieyra  
Rector Instituti c. n. est *Academia Renascens*  
[ramonvieyra@academiarenascens.com](mailto:ramonvieyra@academiarenascens.com)

**Academia Renascens**

[www.academiarenascens.com](http://www.academiarenascens.com) | [contact@academiarenascens.com](mailto:contact@academiarenascens.com)